

Paschaf.

dos. In fœmore cum gladio diuisionis procedit, in fœmore cum magnifico titulo apparet. D Paschaf. In expositione Psal. 44. Accingere, ait, gladio tuo super fœmur potentissime. Quem tamen gladium ubi, vel ubi intelligatur. Venit Iesus in terram mittere, sicut ipse ait: non pacem veni mittere in terram, sed gladium. Veni, inquit, separare filium aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, &c. Quam diuisionem Christi gladius procul dubio attulit nobis, vt quotidie videmus, adhuc agit in terris, ne male potiatur animus sibi à natura concessis. Ipse gladius, qui missus est in terra, adhuc viget, dum separat, ne male potiatur animus, &c.

Mart. de Roa.

Pro magis hac thesi confirmanda, nota quod sponfus non portat gladium in manu, vel ex collo appensum, sed super fœmur, in quo symbolum generationis denotatur, vt notat Martinus de Roa. lib. 4. singul. cap. 4. & communiter expositores ad cap. 24. Genes. num. 2. Pone manum tuam super fœmur tuum. Hinc filij Iacob dicuntur. Egressi de fœmore eius. Genes. 46. num. 26. Vt exprimeretur, quod gladius sponfi destinatus erat ad persequendos, ac abrumpendos omnes affectus ex cognatione carnis, eiusque generatione procedentes: fauet D. Paschaf. citato loco. Quod autem, ait, fœmur significet opera nuptiarum docet Abraham, qui iubet seruum irare in eius fœmore. Vbi sponfus à Patre accingi iubetur, non qualicumq; gladio, sed sicut in Hebræo habetur accingere gladio tuo potentissime. Et tunc subdit verba à nobis superiorum data. Vide supra in hoc cap. q. 2. & infra cap. 33. quæst. 16.

Genes. 46. Affectus cognationis abrumpendus.

D. Paschaf.

Luc. 14. n. 31. Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

Nym. 32. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt.

VERSIONES.

Syriacus n. 31. Aut quis rex proficiscens, vt bello decernat cum rege socio suo.

Arabicus. Quis rex exiit in bellum regis alterius, & non sedet prius ac cogitabit.

Euthymius. Et non sedens prius consulat.

Vatablus. Non sedens prius consilium init, an possit decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus eum adoritur.

Syriacus n. 32. Sin minus dum adhuc est procul ab eo, mittit caduceatores, & exposulat pacem.

Arabicus. Dum expectat longè ab eo mittit nuncios.

Vatablus.

Dum ille longe abest legatione missa petit ea, quæ ad pacem pertinent.

EXPOSITIO IV.



OSITA similitudine de turri edificanda, supponit hic aliam similitudinem de rege pugnaturæ, & sicut in prima requiritur prudens consideratio de sumptibus ad edificium perficiendum, sic & in præsentem, vt notat Euthym. di sereta consultatio de viribus ad ineundum bellum. Si possit cum decem millibus. Si potens est cum decem millibus virorum; & maxime declaratur discrimen, ac diligens inquisitio necessaria, dum vires regis, vniuscuiusque scilicet aduersus duplicatas vires alterius in prælium exeant; indicatur hac similitudine, quod ille, qui statum perfectionis vitæ religiosæ, ac Apostolicæ proficitur, bellum habeat cum Diabolo, qui duplici exercitu contra eum pugnat, vt bene notat Caietanus. Pugnat primo obiciendo ea, quæ omnibus hominibus sunt vetita, vt illa, quæ militant contra præcepta Decalogi; pugnat secundo obiciendo illa, quæ communibus, ac vulgaribus sunt licita, v.g. habere agros, vacare humanis negotiis, & officiis, degere hoc, vel illo loco, pro vt sua voluntas fert, quæ quidem secularibus hominibus sunt licita; vitæ autem religiosæ, & Apostolicæ interdita.

41.

Euthym.

Caietan.

Alioquin: Seu vt habet Syriacus. Sin minus. Cum inueniat vires regni sui non sufficere, ac proinde se imparem omnino agnoscat, Adhuc illo longe agente, Dum ille procul abest: legatis missis. Rogat ea, quæ pacis sunt. Postulat ea, quæ pertinent ad pacem, ac proinde pacis condiciones tractat. Hæc tamen clausula ad præsentem causam aptari non debet, vt notatur Carthusian. Iansen. Lucas. Burg. Cornelius à Lapide, & alij; nulla nobis ineunda est reconciliatio cum hoste spirituali; nec enim oportet, singulas parabolarum, seu similitudinum particulas ad rem præsentem adaptare. Tamen scopo parabolæ, ac intentioni Christi sic potest accommodari. Dixerat Dominus, quod vt aliquis esset eius discipulus, statimque perfectum Apostolicum teneat, necesse est, vt renuntiet parentibus, cognatis, omnibusque rebus mundialibus, ac suæ voluntati, ab eisque fugiat tanquam ab inimicis odio habitis. Si quis non odit patrem, & matrem, &c. Si autem ipse agnoscat vires suas tantæ perfectioni insufficientes, cum eis ineat pacem, cum eis scilicet maneat, viuat, præcepta Evangelica seruans; consilia autem pauperatis, obedientiæ, ac castitatis dimittat. Hæc debet pensitare vnusquisque, qui viam perfectionis intendit suscipere, ne postea incaute deprehensus ab Apostolica via incepta turpiter desinat.

QUESTIO VII.

Multis expenditur sensus moralis huius parabolæ de bello?

NOTA Salmeiron tom. 7. tract. 24. num. 8. his parabolis denotari à Christo vitam contemplatiuam, & actiuam. Turris edificata vitæ

44.

Salmeiron.

Vita contemplatiua, & actiua.

44.

2. Timoth. 2.

Pro celo pugnandum.

Hugo.

Psal. 142. Gregor.

45.

Eusebius.

Proverb. 20.

Vt vincas mundum exi à tuo loco.

46.

Potentibus familiaria bella. Bostrenf.

Cyriillus. Carthuf.

Theophyl. Gregor. Glossa. Beda. Haymon. Bonauent.

47.

Beda. Hugo.

Christus multa pro nobis sustulit Bonauent.

vita contemplatiua est symbolum, nam turris à longe speculatur; bellum ineundum contra aduersarium Regem, vitæ actiua typum gerit. Pugnandum est enim contra proprias cupiditates, aduersariosque nostros vita contemplatiua, & actiua, vt quod contemplatione assequimur, actione compleamus.

In hac parabola de bello tria notanda sunt. Primo. Quod pugnando oportet peruenire ad regnum. Nam vt ait Paulus. 2. Timoth. 2. num. 2. Non coronabitur nisi qui legitime certauerit. Secundo. Quod belli, ac militum similitudine, docet nos Christus, vt terrenis omnibus renunciemus. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, &c. Quamnam coherentia terrenarum rerum cum exercitu? Multa Sane. Terrenæ opes, tanquam exercitus militum armatus, contra nos decertant, & grauior iactura à terrenis rebus timenda, quam ab hostibus armatis. Tertio. Vt ait Cardinalis Hugo, nullus per sua merita potest peruenire ad regnum, nisi iustitia Dei per misericordiam temperetur, quia omnis homo in comparatione Dei imperfectus est. Non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens. Psalm. 142. num. 2. D. Gregor. Sape iustitia nostra, ait, ad examen diuina iustitia deducta iniustitia est, & fordet in distributione iudicis, quod in oculis fulget operantis. Postquam, ait Hugo, de turri meritum locutus fuerat Dominus, ne crederet aliquis per hæc posse ascendere in cælum, de seueritate iudicis adiungit, à quo necesse est misericordiam pacis exposcere.

Quis rex iturus. Eusebius Emisenus in propria homil. Rex iste, ait, est vnusquisque fidelis, qui se ipsum, & virtutum exercitum, qui in eo est bene regere nouit. Secundum legem Dei, ac rectum iudicium. Rex, qui sedet in solio iudicij. Proverb. 20. num. 8. Iturus, ait, non expectat rex iste suum aduersarium in sua ciuitate, in suo regno, sed iturus est. Seu vt legit Syriacus. Rex proficiscens. Vt quilibet ineat bellum cum Diabolo, debet exire à terra sua, à cognatione sua, ac domo sua, vt mandatum est Abrahamo. Genes. 12. num. 1.

Committere bellum. Cum de bello mentionem facit; reges exprimit, regibus, ac potentibus valde peculiaria sunt bella, ac dissidia. Committite bellum. Titus Bostrenf. Per hoc significatur, ait, certamen nobis esse cum aduersarijs potestatis (scilicet demonibus) tum rursum cum lege illa, quæ in membris nostris grassatur, plurimisque animi perturbaciones, & infelicia praelia quotidie isthinc excitat. Quod etiam habet D. Cyriillus, qui duo proximi citati Patres, sicut & Carthusianus per alium regem intelligunt diabolum, qui contra nos pugnat; Theophylactus, peccatum, cuius ministri sunt Demones. D. Gregorius. homil. 37. Glossa, Beda, Haymon. D. Bonau. interpretantur Christum Dominum venientem ad iudicium.

Si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. Quo significatur simplicitas hominis Christiani dimicaturi cum duplicitate Diaboli, vel intelligitur, quod Diabolus pugnat contra perfectos prouocando ad illicita, & etiam prouocando ad licita aliquibus; vetita autem perfectis, vt dixi in expositione. Si verò de Rege Christo intelligatur, tunc dicimus cum Beda, quod occurrit ei cum decem millibus, id est cum obseruatione decem præceptorum Decalogi; Rex autem venturus contra nos, est Christus Iudex, vt explicant ipse Beda, D. Bonau.

Hugo, & alij, qui quasi duplicato numero contra simplum venit, cum nos vix simul in opere præparatos, simul de opere, & cogitatione discutiet: non solum de opere exteriori, sed etiam de interiori rationem exiget. Vel certe cum viginti millibus veniet, quia plura pro nobis, quam nos pro ipso fecerimus, se fecisse ostendit, multa plura mala pro nobis, sustinuisse. Ex quo dicebat Michæas. 6. num. 6. Quid dignum offeram Deo?

Micahæ. 1.

Legationem mittens. D. Gregor. citata homil. Pensate fratres, ait, quam benignum sit, quod is, qui suo aduentu valet opprimere, tardat venire. Vt ad eum nostram legationem pacis mittamus. Quamuis Dominus multa imminet potestate, vt valeat vos opprimere ad reconciliationem dat tempus. Legationem mittens. Quamnam legatio est ista, nisi vt non in nostra, sed in Dei virtute spem nostram reponamus; sic ait citatus Eusebius Emislen. Hic autem aduersus regem alium bellum committit, per quem Diabolus intelligimus: quem quidem, etsi maiorem exercitum habet, facile tamen superamus, si non in nostra, sed in Dei virtute confidimus.

48.

Gregor. Fiducia non in nobis, sed in Dei virtute.

Eusebius.

Aliter explicat D. Gregor. apud D. Thom. Dum ergo adhuc longe est, mittamus ad eum legationem, lachrymas nostras. Lachrymæ ad instar legati valde efficaciter nostras causas apud Deum agunt, & sollicitant. Hinc ait Regius vates. Auribus percipe lachrymas meas. Psalm. 38. num. 13. Explicat Hugo in cap. 5. Matth. Quia violenta sunt in precibus. Lachrymæ tam instanter affectant, ac sollicitant causam nostram, vt quodammodo videantur violentiam inferre, vt impetrent, ac obtineant.

49.

Gregor. Lachryma pro nobis negotiantur.

Psal. 38.

Hugo.

Anna Samuelis mater, cum se videret ignominia affectam ab æmula sua Phenenna flens largiter orabat ad Dominum. Tantumq; labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. 1. Reg. 1. num. 13. Animi afflictio magnum clamorem excitat, cur ergo mulier cum angusto esset animo in magnas voces non erumpit, vt de Mardochoo legimus; ostendens amaritudinem animi sui, & hoc vultum usq; ad fores palatii gradens. Esth. 4. num. 2. Habebat prudens femina negotium cum Deo, apud quem sciebat, quod nulla esset vox tam alte, & sublimè sonans, ac vna breuis lachryma, quæ cū lachryma sit, omnes superat voces clamore, ac efficit, vt desiderata obtineat, & assequatur. D. Chrysof. homil. 6. in Matth. Hæc lachryma, ait, vel sola emittebant ad Dominum vocem omni buccina clarior: & idcirco sterilitatem eius in fecunditatem Deus mutauit, & quasi duro quodam saxo agrum fertilem reddidit.

50.

1. Reg. 1.

Lachryma efficitur, quam vox.

Chrysof.

Cum David fugeret à facie Abalon dicitur quod Ascendebat cliuam oliuarum, scandens, & flens. 2. Reg. 15. n. 30. Multa angustia premebatur David, tamen non voces mittebat in cælum, sed solum lachrymas effundebat, agnouerat enim, quod si lachrymæ apparerent in oculis, voces in ore minime necessaria requirebantur: inde totus in fletu se effundebat. Abulensis ibi. quæstione 33. Sciebat David, ait, se peccasse; ideo non pro malis, quæ patiebatur, dolebat; sed vt per lachrymas Dei furorem leniret. Illud tamen maxime notandum, quod scribitur. Scandens, & flens. Non erat descendens, vel deambulans flens; sed scandens, & non per quemlibet collem, sed per cliuam oliuarum, quæ diuina misericordia typum exprimit; Qui enim lachrymas emittit, velocissime gressus suos mittit, ac dirig

51.

2. Reg. 15.

Abulens.

Lachryma ascendit, & volat ad Dei misericordiam.

git ad diuine pietatis, ac misericordie montem, vt optatis fruatur, illisque adeptis congaudeat, vnde recte ait D. Paschas. lib. 11. in Matth. Cum lachryma effunditur, misericordia Dei superinfunditur.

LUC. 14. 23. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

VERSIONES.

Syriacus. Ita quisquis ex vobis non reliquerit omnem possessionem suam, non potest mihi esse discipulus.
Caictanus. Qui non valefacit omnibus, quæ sunt ei.
Origenes. Qui non abrenunciavit.
Arias. Qui non renuntiat omnibus suis substantiis.

EXPOSITIO V.



QVOMODO hæc conclusio Christi Domini cohæreat cum superioribus, multis difficile visum est; quod dupliciter explicatur. Primò cum D. Bonauent. qui sic ait; Ac si dicat Dominus: Sicut edificans non potest consummare sine sumptibus, nec pugnans secure pugnam aggredi sine militibus. Sic nullus perfecte potest sequi Christum, nisi renuntiet omnibus. Secundò. Sicut aggrediens turris ædificationem, vel belli conflictum, prius debet expendere vires, ac facultates suas, an pares sint ad huiusmodi res perficiendas: sic qui desiderat fieri meus discipulus (quæ res satis ardua est) prius oportet secum cogitare, an mei causa, ait Christus, valeat relinquere omnia bona temporalia, parentes, & amicos odio habere, imò & se ipsum, ac vitam abnegare, ne postea magna ignominia, ac iactura sua ab his retrocedat.

Renuntiat omnibus, quæ possidet. D. August. Epistol. 38. ad Lætum, non solum hic intelligit possessiones, sed etiam parentes, & fratres supra nominatos, vers. 26. Praelocutio superior, ait, cum extrema conclusione concordat. In eo enim quod vnusquisque renuntiat omnibus, quæ sunt eius, etiam illud continetur, vt oderit patrem suum, & matrem, & uxorem. Barradas tamen verisimiliter existimat conclusionem de diuitiis, ac possessionibus esse intelligendam. Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet. Sermo est enim de his, quæ possidentur, quod clarius exprimit Syriacus. Qui non reliquit omnem possessionem suam. Parentes autem, & fratres, ac cognatos, nemo dicitur possidere. Non potest meus esse discipulus. Christus, quos vocat ad sui sequelam, ac discipulatum ostendit eis laborem, ac pressuram ferendam: Nisi quis renuntiauerit, &c. Diabolus verò, quos ad se trahere conatur, solum in mundialibus, eis manifestat gratiam, & splendorem, vt Christo in deserto ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum, Matth. 4. num. 8.

52.

Bonau.

Cobarentia 22. 23.

53. August.

Barrad.

Syriacus.

Matth. 4.

QUESTIO VIII.

Quomodo Origenes hæc verba ad Christi sacerdotes refert?

ORIGENES homil. 6. in Genes. præsentem textum, Nisi qui abrenuntiauerit, &c. De sacerdotibus interpretatur, illumque confert cum eo, quod de Ioseph narratur Genes. 47. num. 20. Emit ergo Ioseph omnem terram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis. Magnum, larumque discrimen interuenit inter sacerdotes Dei, ac Pharaonis. Pharaon terras sacerdotibus suis concedit; Dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra, ait enim eis. Ego sum pars vestra. Num. 18. num. 20. Quæ huius rei causa? Pharaon terrenos sacerdotes terrenis deditos volebat; At Deus cum sit totus spiritus, sacerdotes spiritaliter viuentes affectat, vt nulla terrenarum rerum cupiditate teneantur, nullo mundi onere deprimantur, sed solum Dei cultui intendant. Origenes citatus sic ait. Qui terrenis studiis vacant, non tam Domini, quam Pharaonis sacerdotes esse videntur. Festinamus ergo transire a sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad Sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est; quibus Dominus portio est.

Hinc ipse Origenes homil. 11. in Leuiti. ad cap. 20. Vt ipse legit. Separamini, qui portatis vasa Domini, & exite de medio eorum. Cur non explicat à quibus esset separandum? Cùm diceret, Qui portatis vasa Domini. Quod ad sacerdotes referendum est, vt manifestum apparet, qui à mundo, ac illius concupiscentia separati debent esse, ait Origenes: sepe te à terrenis affectibus, separa te à concupiscentia mundi, omne enim quod est in mundo, secundum Apostolum concupiscentia carnis est; esto semotus, & separatus, & intra in templum Domini. Prius separandum, & postea intrandum in templum Dei, prius segeta te à mundo, & postea ingredieris in templum, vt Dominus adhaereas, eumque sequaris.

Cùm comprehensus esset meus Iesus in horto. Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis. Marc. 14. num. 51. Valde mirum quod cùm hic casus contingeret in limine noctis, adolescens nudus vna tantum sindone coopertus Dominum sequeretur, & ipsam sindonem dimittit, vt persequentes effugiat; & merito sane in magnum nostrum documentum, cum enim quis Christum sequitur, etiam ab omnibus denudatus, si vnam tantum breuem sindonem, ac amictum habet, illum abiciat, ne carnificum manibus ad extremam perniciem, ac casum veniat. Aposite D. Hieron. Epistol. ad Fabiolam. Sindone operius adolescens vincitum Dominum sequebatur, incurrisset laqueos, nisi expeditus, & nudus persequentium impetum declinasset.

Vltima Canticorum verba cap. 8. num. 14. sunt: Fuge dilectam mi. Valde mirum, quod tam largus, ac affectuosus amoris sermo contentus in toto Cantic. libr. hanc habeat clausulam. Fuge dilectam mi. Videbatur consequens vt ex tam diffuso, ac suauissimo amoris colloquio sponsa à suo dilecto totis viribus exposceret, vt minime absens fieret,

54. Origenes.

Genes. 47.

Num. 18.

Christi sacerdotes de spiritalibus.

55. Origenes Leuit. 20.

Sacerdos sit separatus à concupiscentia mundi.

56.

Marc. 14.

Qui Christum sequitur, vestimenta abiciat, ne perireat.

57. Cantic. 8.

fieret, sed cum ea commoraretur. Quid est, quod modo fugam suadet, & non antea, nec in exordio, nec in medio, sed in fine sermonis? Quamdiu sponsa in se non agnouit vires vt omnino relinquere terram: Non suadet dilecto fugam à terris; at verò cum se iam ad tantam perfectionem deuentam esse animaduertisset, vt totaliter dimitteret terram ex animo, tunc rogat eum, vt à terris recedat, cum ipsa eum terram relinquente sequi valeat; solus enim ille, qui hæc caduca ex corde deponit, comes Iesus fieri potest, & eique semper adherere. D. Ambros. lib. de bono Mortis. cap. 5. Hortatur, ait, vt fugiat sponsus, quia iam sequi potest, etiam ipsa terrena fugientem.

Qui terram relinquit, Christum sequi valet.

Ambros.

QUESTIO IX.

Quare Dominus mandat renuntiare omnibus, cum multis liceat possessa retinere?

58.

Tobias 4.

Ecles. 5.

59. Caictan.

Vir perfectus renuntiat omnibus.

August. Bonauent. Carthuf. Hugo.

60. Gregor.

Psal. 10. Spiritus principalis Domini natio affectuum. Chrylost. 61.

DIFFICULTAS questionis est, quia multi v.g. sæculares, licite, imò & fructuosè retinent sua bona, cum eis multas elemosynas faciant; vnde dicebat senior Tobias filio suo. cap. 4. n. 8. Quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit abundanter tribue: si exiguum, etiam exiguum. Et Ecclesiastes. 5. n. 18. dicitur. Omni homini cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis. Hoc est donum Dei, &c.

Solutio est cum Caictano, cæterisque expositoribus communiter, quod hæc Christi doctrina, qua mandat renuntiare omnibus, non sit præceptum, sed consilium, ac si dicat Christus; Qui vult sequi vitam, ac perfectionem Evangelicam paupertatis, & prædicationis, quam ego profiteor, vt sit meus discipulus, vt sunt Apostoli, in facto, & executione omnibus debet renuntiare. Et hoc spectat ad viros perfectos; omnes tamen Christiani tenentur in voto, ac animo esse parati, vt cum persecutio, vel necessitas exigit pro fide Christi pati iacturam bonorum, parentum, & propriae vitæ. Beda. In præsentia. Distat sane inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, curas mundi postponere, solis desideriis inhære. Cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, quæ possident, hoc est sic tenere quæ mundi sunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo, habere rem temporalem in vsu, æternam in desiderio, sic terrena gerere, vt tota mente ad caelestia tendant. Quod etiam docent D. Augustin. Epistol. 89. D. Bonauent. Carthusian. Hugo, & alij.

D. etiam Gregorius homil. 15. in Ezechiel post medium. Multi, ait, possidendo renuntiant, qui sic ad usum possessa retinent, vt eis desiderio non succumbant, &c. Sunt qui temporalia sic possident, vt ab eis nequaquam possideantur, poterit vtique talis aliquando æquialere ei, qui renunciauit, cùm illorum cupiditate minimè inescatur, ac detineatur; qui tam sublimis spiritus est, vt appelletur à Regio Vate spiritus principalis. Psalm. 50. n. 14. Spiritu principalis confirma me, vt interpretatur D. Chrylost. homil. de Spiritu sancto. tom. 5. Petrus David, ait, Spiritum, quo dominetur, & sit princeps affectionum suarum. Hunc vocat. Spiritum principalem. Moriturus Iacob in signum eximij sui amoris ait filio suo Ioseph. Do tibi partem vnã extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrbæi in gladio, Sylucira in Euang. Tom. IV.

arcu meo. Genes. 48. n. 22. Pars hæc singularis, quam ex diuisione Chananeæ exemit Iacob, deditque speciali donatione Ioseph, fuit ager vrbs Sichem; vnde Septuaginta vertunt. Do tibi Sichemam præcipuam super omnes fratres tuos. Cur Iacob magis eligit agrum illum, vt tanquam rem magnam singulariter delegaret suo dilecto Ioseph, quam quodcumque aliud donum, quibus multis abundabat. Cum ipse esset valde locuples? In agro illo prope urbem Sichem sepelitur Iacob idola. Genes. 35. n. 4. Ibique insidant, cum ea infoderet, ac terra obrueret; imò & Sichem laborem denotat, sicut & idola nostros appetitus, ac concupiscentias. Iacob ergo sibi peruasit nullam pretiosior rem posse pro magno beneficio, ac amore filio suo Ioseph in hereditatem instituire, quam agrum illum, tanquam laboris, ac fudoris documentum, vt inordinatas appetitiones subterret, easque pedibus conculcarent. Nulla amplior hereditas, quam delegata instructio in agro Sichem, vt concupiscentia idola nostrorum affectuum conculcatione terra obuerentur, sub plantisque prosterentur. D. Nilus in Ascet. Beatus Iacob, ait, Deos alienos in Sichem abscondit. Porro Sichem, quod est humerus, significat laborem, qui in domandis cupiditatibus signatur, quare Iacob partem eximiam dat Ioseph ipsa Sichem, quam in arcu, & gladio suo se dicit acquisisse, in qua demonstrat, se certando, & laborando vitia superasse.

In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Psalm. 62. n. 3. Alij apud Lorinum suppleunt, sicut in sancto, seu sanctuario, vidi te. Valde mirum, quod in terra illa felici, in qua homo apparet Deo, & ipsum Deum videt, appellet Vates terram deserti, seu solitudinis, siccam, aridam, squalidam, horridam, & stridendam, vt ibi legit Hebraeus, à præsentia Dei dicenda erat terra plena omni bono. Plena est omnis terra gloria eius. Isai. 6. à facie scilicet eius; Dicendaque erat terra irrigua, fecunda, ac iucunda. Mons Dei, mons pinguis. Psalm. 67. n. 17. Alij legunt Mons irriguus. Quomodo ergo terra illa, quæ Dei præsentia nobilitatur, dicitur terra deserta, inuia, & inaquosa. Loquitur Propheta iuxta D. Hieron. de terra corporis nostri; tunc enim homo aptus est, vt appateat Deo in sancto, seu eius sanctuario, eius præsentia fruens, cum terra corporis sui deserta est à vitiiis, inuia cupiditatibus, inaquosa libidinis delectationibus. D. Hieron. Epistol. 46. In sancto, ait, ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, inuia inimicitias, & concupiscentiis, & inaquosa illecebris.

Genes. 48.

Septuag.

Genes. 35.

Proprios concupiscentias calcare magnum donum.

Nilus.

62. Psalm. 62. Lorin.

Hebr.

Isai. 6.

Psalm. 67. Tunc homo apparet in sancto, cum suas concupiscentias abiciit.

Hieron.



CAPVT XXVI.

Ovis, ac drachma perditæ.

LUC. 15. n. 1. Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum.

Num. 2. Et murmurabant Pharisei, & Scribæ dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

RR VERSIO